



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Vita Ac Scriptis CL. V. Ioannis Wamesii I. C. Ex Biblioth. Belgica. CL. V.
Valerii Andreæ Desselii I. C.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

DE VITA AC SCRIPTIS

CL. V. IOANNIS WAMESII I. C.
EX BIBLIOTH. BELGICA.

CL. V. VALERII ANDREÆ
DESSELII I. C.

IOANNES WAMESIUS, Leodici Eburonum anno Dom. clō. lō. xxiv. natus est. Lovanij à Philosophia optimè efformatus, litteraturæ melioris, & linguæ ac iuris utriusque notitiam singularem affecutus est, usus la- re & familiaritate Rutgeri Rescij, viri doctissimi: quo etiam elato, in *Wamesij* postea manum vidua convenit. Doctor iuris utriusque renunciatus est an. clō. lō. lxx ad diem xxix. Au- gusti, cum Ioachimo Hoppero, Ioan. Venduillio, & Petro Pecquio, viris præstantissimis & ad summa natis. Solus *Wamesius* se totum Academix vovit, licet vocatus quoque ad summa. Biennio itaque post in Professorum numerum cooptatus fuit, quos Ordinarios vocant, & Ius Civile annos se- decim interpretatus est. Inde primarius Canonum Antecessor an. clō. lō. lxx designatus, munus illud annos viginti cum laude & fructu obiit. *Pri- moribus gratus, vulgo venerabilis, omnibus carus: breviter Doctrinâ, Prudentiâ, Aucto- ritate inter ævi sui primos.* Obijt divinâ invaletudine, an. Dom. clō. lō. xc. xi. Kalen. Sextileis: sepultus in D. Petri basilica, ubi insigne monumen- tum ab hæredibus eidem positum, cum elogio; quod hîc ex parte descri- ptum. Et certè in *Wamesio* summa erant omnia, quæ in vero Iurisconsulto effigiando desideres: Ingenium promptum & facile, iudicium acre, memo- ria rerum summa, & verè qualis Iurisconsulto in primis necessaria, labor indefessus, nulla à studijs, à legendo ac scribendo requies, ne istâ quidem ætate graviore, ac grandiore, & fracto corpore ab acutissimis podagræ do- loribus pænè continuus. Ad hæc par in utroque jure doctrinæ eminentia, quod perquam rarum ne dicam insolens in plerisque ætatis nostræ Iuris- consultis: rerum forensium usus singularis, mira in actionibus facilitas & promptitudo, & cum his non morosè aut durè fluens eloquentia; ut unus esset & eloquentium Iurisperitissimus & Iurisperitorum eloquentissimus, quorum alterum de Crasso, alterum de Scævola dictum olim fuit. Dubi- tes meritò, scholæ an Reip. idoneus magis esset. Vt verbo dicam, ad uni- cum ferè *Wamesium*, non tantum cum de jure respondendum esset, sed & in ista rerum perplexitate ac nutantis Belgij statu velut ad oraculum itum est. Quò factum, ut nomine Philippi II, Regis Catholici, à Sereniss. Ioanne Austriaco Pro-Rege ad secretioris consilij Senatum evocatus fuerit; *Wamesio* interim maximè laborante, ut ab illo honoris onere eximeretur; mirum quantâ verecundiâ, quantaque modestiâ. Moriens Stephano VVeymsio & Gerardo Corselio, I. V. Doctoribus, affini & nepoti, reli- quit scripta sua atque ingenij monumenta: in quibus *Responsa* eminent, docta profectò & è plena iuris scientia deprompta, quorum pleraque, præ- fertim

ELOG. WAMESII.

sertim quæ ex judicialium actorum meritis composuit, esse possint ad instar Senatusconsultorum, quæ Arresta vocant: quæ & finis litium plurimum approbavit, & id ipsum præfando attestatur VVeymsius. Lucem viderunt, studio & curâ ejusdem,

Recitationes ad Tit. Decretalium De Appellationibus. Lovanij 1604. 4. apud Ger. Rivium.

Responsorum, sive Consiliorum de Jure Pontificio, Tomi II. ordine librorum & Titulorum, qui in Decretalibus. Ibid. & apud Jac. Zegers.

Responsorum sive Consiliorum, ad Jus Forumque Civile pertinentium, Centuriæ VI. Ibid. typis Henr. Hastenij & Antver. apud Henr. Aertssens. Prima ordine Iudiciario digesta est, reliquæ continent ea, quæ pertinent ad contractus inter vivos, ad contractus antenuptiales, & ad ultimas voluntates.

MEMORIÆ SACRVM.

IOANNES VVAMESIVS H. S. E.

QVEM BREVITER LECTOR NOSCE.

NATVS EST LEODICI EBVRONVM ANNO .∞. ID. XXIV.

AD STVDIA LITERARVM, ET INDE IVRIS TRANSIIT,

IN IIS QVOQVE FAMAM ADEPTVS, ETIAM GRÆCIS,

NATVRA ET INDVSTRIA DVCE.

AT IN IURE AD CVLMEN IPSVM CONSCENDIT:

DOCTOR RENVTIATVS ANNO .∞. ID. LIIF.

PVBELICE PROFESSOR IN HAC SCHOLA A. ∞. ID. LVI.

DENIQVE PRIMARIVS ANTECESSOR A. ∞. ID. LXX.

HOC MVNVS CVM LAVDE ANNOS XX. OBIIT.

PRIMORIB. GRATVS, VVLGO VENERABILIS, OMNIB. CHARVS.

BREVITER, DOCTRINA, PRVDENTIA, AVCTORITATE,

INTER AVI SVI PRIMOS.

OBIIT DIVINA INVALETVDINE A. ∞. ID. XC. XI. KAL. SEXTIL.

ISTE VIR FVIT, LECTOR, SED FVIT,

TV QVOQVE QVOD ES NON ERIS,

ALIVS ALIAS, SED OMNES HVC IMVS.

COGITA, ET HVIC BENE APPRECARE,

ITA POSTERI TIBI:

MAGNE DEVS

IPSI ET NOBIS

MISERERE.

HERR. PP.